

2041

LITURGICAL

2042

DCCCXXXI.

R. 3324 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. 119. 8. caractere luculento bene exaratus, minio distinctus, titulisque multis litera quadra coloribus inlusa ornatus Varia continet, quae singulatim differi merentur. *Fol. 1. p. 2. Ordo Uel Breuis Explanatio De Catechizandis Rudibus.* Describo ingressum: *Primo ergo in catechizandis rudibus apostolicum oportet inueniri sermonem, quem dixit. Omnia uestra honeste et cum ordine fiant. quod summa est diligentia prouidendum, ut ordinate fiat nostrae praedicationis officium et baptismi sacramentum. hunc igitur ordinem dominus ipse disposuit discipulis suis dicens. Ite docete omnes gentes baptizantes eos. in nomine patris. & filii. & spiritus sancti; docentes eos seruire omnia quaecumque mandauit uobis. quod beatus hieronimus in comentario mathaei ita exponit dicens. Primum docent. deinde doctas intingunt aqua. Non potest enim fieri ut corpus baptismi percipiat sacramentum. Nisi ante anima fidei suscipiet ueritatem; Baptizantur in nomine patris. & filii. & spiritus sancti, ut quorum una est diuinitas, sit una largitio. Nomenque trinitatis unus est deus. docentes eos seruire omnia quaecumque mandauit uobis. Ordo praecipuus iussit apostolis, ut primum docerent uniuersas gentes; Deinde fidei intinguerent sacramento, & post fidem ac baptismum quae essent obseruanda praeciperent. Igitur ille ordo in*

*docendo uirum aetate perfectum diligenter ut arbitror obseruandus est, quem beatus augustinus ordinauit in libro cui de catechizandis rudibus titulum praenotauit: primo instruendus est homo de animae immortalitate & de uita futura & de retributione bonorum malorumque. postea pro quibus peccatis & sceleribus poenas cum diabolo patiatur aeternas, & pro quibus bonis uel benefactis gloria cum christo fruatur sempiterna. Deinde fides sanctae trinitatis diligentissime docenda est, & aduentus pro salute humani generis filii dei domini nostri ihesu christi in hunc mundum exponendus, & de mysterio passionis illius, & ueritate resurrectionis, & gloria ascensionis in caelos, & futuro eius aduentu ad iudicandas omnes gentes & de resurrectione corporum. In talibus mens nouella firmanda est & hac fide roboratus homo & praeparatus baptizandus est. Hinc jam Senfa PP. de Baptismo, ejusque Ritibus, ut fit in Collectionibus Canonicis, depromuntur; sunt uero Niceta, Clemens, Isidorus Hisp. Albinus (Alcuinus) Magister, Hieronymus, Gregorius M. Beda, Augustinus, Athanasius, Leo et Origenes. Atque de ceteris res expedita est, quamquam singula eorum loca cum Eritis conferrem, si  $\mu\omicron\nu\omicron\gamma\epsilon\alpha\phi\iota\alpha\nu$  et non Indicem scriberem, unus Niceta, Nicetas, Niceas aurem uellit. Primus ejus meminit S. Paulinus bis Nolae ad celebrandum D. Felicis Festum amicissimi sui hospitis tam uersibus suis, quam *Epist. 29. ad Severum, qua eum uenerabilem**

R 2

Epi-

*Episcopum atque doctissimum, qui ex Dacia Romanis merito admirandus advenerat, compellat. Ad editionem Paris. Operum 1685. 4. Alter Gennadius est ejusdem Sec. V. Scriptor, qui L. de Viris illustr. eum Romacianae (in Dacia mediterranea) Civitatis Episcopum et autorem sex Libellorum Instructionis et Baptismum pro Competentibus facit, quorum etiam indicat argumenta. Hos Libellos hodie non extare, pronuntiatur in Bibl. Fabric. med. Lat. edit. Mansf. L. XIII. p. 99. n. (d). ego vero Αερψααα saltem e Codice nostro proferam. Fol. 3. Niceta in Libro Primo ad Competentes: Instructiones igitur necessarias ad fidem currentibus opus est explorare, quas & rusticae animae possint advertere pariter & tenere, non ex proprio ingenio compositas, sed ex diuinarum scripturarum praedicatione collectas, quibus edocentur ad baptismum electi, ut, quid dimiserint, sciant, & quid desiderant, magis intellegant, & quid accepturi sunt, uel quid obseruare debeant, certius recognoscant; quia magnum est, quod desiderant, grande est, quod inchoant, siue deus inspirauit, siue homo commouit et suavit. Fol. 4. ibid. Cuticuminus quasi hospis & uicinus fidelium deforis audiens mysteria, nec intellegens, audiens gratiam, nec aduertens, ex hoc uero (Baptismo) fidelis incipit appellari. Fol. 5. p. 2. ibid. Non enim ante ad confessionem uenitur, nisi prius fuerit diabolo renuntiatum. Sicut nec aurilicus (legus)*

*ante aurum mittit in sacculum, nisi prius terram uel limum lauerit uniuersum. (Vides morem Daciae ab Episcopo domestico Sec. V. confirmatum, de quo plura Sam. Koeleserus in Auraria Romano—Dacica. Cibiui 1717. 8. Operas Paulinus Carm. XVII. ad Nicetam nostrum Aurilegulos vocat: Callidos Aurilegulos in aurum vertis, ad vitam christianum videlicet eos instituendo, et Carm. eod. Bessus exultat: quod humi manue ante querebat, modo mente coelo colligit aurum.) Ideo oportet prius repudium dicere diabolicae uanitati, & amara eius studia abrenuntiando projicere; Abrenuntiare autem oportet non nudo sermone, neque solis labiis, sed fide fortissima et indubitata scientia; id est, ut christo se homo tota animi uirtute committat, confidens, quia christi factus desinat timere diabolium. Deinde abrenuntiat & operibus eius malignis, id est, culturis & idolis, fortibus & auguriis, pompis & theatris, furtis & fraudibus, homicidiis & fornicationibus, superbiis & iactantiae, irae & auaritiae, comestationibus & ebriositatibus, choris atque mendaciis, & bis similibus malis. Quid dicimus de his, qui superfluo carnis ornatu iactare se uolunt, et uideri mirabiles. Taceo de exquisitis inutiliter uestimentorum subtilitatibus. Oro uos, quid faciunt in uiris capilli aquo (acu?) crispanti, comae retro quidem ceruicem cooperientes, ante autem frontem penitus abscondentes ita, ut nec signo christi (cruci) locus liber relin-*

linquatur in fronte, & eundem (unde) se putant habere aliquam gloriam uel decorem, inde turpitudinem & ignominiam contrabant. Similiter & mulieres caput ligantes ut scutum, ut frons tanquam uallis inter duos subsidat colles, ut de auribus pondera lapillorum auro ligata dependeant, ut brachia honorerentur auro, ut cervicem premant catene uel lapides, et pedibus sanguine calciammentis flammulę rutilent. Quis usus in his, quę utilitas inuenitur, nisi sola inanis pompa & mens desiderio infantili corrupta. Fol. 6. p. 2. Item in Libro II. Certe omne peccatum sine demonis operatione non fit, quę omnia opera diaboli, uel eius pompas esse intelligimus. His ergo malis se homo expediens has catenas post dorsum suum uelut in faciem projiciens inimici jam sincera uoce pronunciat: Credo in deum patrem omnipotentem & reliqua. De fide enim sicut in eodem symbolo continetur, pleniter ad fidem quisque atque ad baptismum peruenire desiderans instruendus est pariter et docendus, ut breuitatem symboli in corde memoriter teneat, quod cotidie dicat apud semetipsum, antequam dormiat, cum de somno surrexerit, quod omnibus horis in mente habeat, similiter & orationem dominicam, & signaculum (crucis) quo se contra diabolum munit. Fol. 11. In Lib. ad Competentes: Symbolum est commonitorium fidei & sancta confessio, quae communiter ab omnibus tenetur et discitur. Fol. eod. p. 2. in Libro Primo. Cur exorciza-

tur, nisi ad consequendam gratiam praeparatur; per exorcismos enim ueluti per ignem purgantur, quia ignita sunt eloquia domini, ex quibus sunt exorcismi compositi. Haec in Codice de Niceta restant, quibus addidissim e fol. 7. p. 2. Expositionem Symboli, et e fol. 18. Epilogum totius Opusculi opportunis monitis ad Clerum refertum, nisi illud ex integro dignum censerem, quod in aliquo Bibliothecae PP. Auctario lucem aliquando adspiciat. Nunc ad Nicetam tantisper respicere liceat. Dum enim haec scripsissem, adlatum est mihi Patavii Typis Seminarii nuper MDCCXCIX. excusum in 4. Opusculum inscriptum: *Explanatio Symboli Beati Nicetae Aquilejensis Episcopi Habita Ad Competentes*, manu, ut habet Praefatio italica, Em. Purpurati Steph. Borgiae, literatissimi literatorum hominum fautoris, e Codice M. S. Chisiano membran. in 4<sup>to</sup>. Seculi XIV. descriptum. Gaudebam enim uero, memoriam sancti Praefulis eodem paene tempore cum a me, tum alibi rursus excitari; non poteram tamen consentire in τὸ Aquilejensis, quod si Codex Chisianus praefert, certo σφάλαμα est, scribendumque fuerat aut *Daciae*, aut *Civitatis Romatianae* cum *Genadio*, aut *Romesianae* cum *Tabula Peutinger.* aut *Ῥωμαϊκῆς τῆς Δακίας* cum *Actione I. Concilii Chalced. T. IV. Concill. Labb. edit. Venet. col. 892.* quam Civitatem cum *Aquileja* conflare adgressum *Card. Baronium* in *Notis Martyrolog.* ad 22. Jun. emendavere *Papbro-*

pebrochius in *Act. SS. T. IV. Jun.* in *Dissert. crit.* ad eand. Diem. p. 245. Pagius in *Critica Annal. T. II.* ad an. CCOXCVI. p. 8. *De Rubeis* in *Monum. Eccl. Aquilej.* c. 17. col. 152. *Quesnellus* in *Not. ad Leonis M. Epist. CXXIX. T. II.* p. 506. Quod si igitur *Romatiana* Civitas non est *Aquileja*, liquet, non scripsisse Episcopum *Aquilejensem*, quae scripsit *Romatianus*. Immo *Aquilejensem* Saeculo paene integro *Romatiano* posteriori literis aliquid consignatum reliquisse, nemo antiquorum tradit. At vero *Gennadius* jam superius a me productus, et *Aquilejensi συγγεγονος* c. 22. disertè *Romatiano* tribuit *Instructionis Libellos sex* pro Competentibus ad Baptismum, sequente *Honorio Augustod. L. II. c. 22.* et *Tribemio* n. 118. atque inter hos *Quintum de Symbolo*, quem eundem esse, qui e Codice *Chisiano* productus lucem nuper adspexit *Patavii*, eo minus ambigo, quod in eo mox sub ingressum Edit. *Patav.* p. VII. eadem verba repetit Autor, quae supra e Libello ejus II. citavi: *His ergo malis se homo expediens has catenas post dorsum suum velut in faciem projiciens inimici jam sincera* (in Edit. *symbolica*) *voce pronuntiat: Credo in deum &c.* Perpendat haec Lector, et haud gravate mecum statuet, si de recudenda isthac *Explanatione Symboli*, sive seperatim, seu in quodam Bibliothecae PP. Supplemento res fuerit, *Nicetae Aquilejensi* substituendum fore *Dadicum*, aut *Romatianum*.

II. fol. 23. *Excerpta Capita ex Isidori L. III. Sententiar. et ex Libris de Vita Contemplativa Juliano Pomerio* tributus, qui tamen jam *Sec. X.* ut hic fit, *Prospero* inscribebantur. Sunt vero *Capita*, quae agunt de *Hominibus ecclesiasticis*, primumque *Isidori de indignis Praepositis*, quod est in edit. *Breulii* c. 34. iniens: *Non sunt promovendi ad regimen &c.* et quanquam utriusque *Scriptoris* textus cum editis bene conveniat, in praedictò tamen *Cap.* post verba: *et ipse vitis seruiat*, Codex inserit sequentia, quae *Breulius* non habuit: *Qui se non dignum ad episcopatum existimat, locum eius, qui dignus est, non praesumat. Nam tam sanctum est sacerdotii nomen, ut nulla vitiorum nota maculari se sinat. Gravius enim condempnabitur, qui indignus suscipit, quod non meretur.* Contra vero *προσωποποιων* illam inopinam in editis mox sequentem: *Heu me miserum—quid sequar, ignoro; Codex non adgnoscat, et, ut mihi quidem videtur, recte.*

III. fol. 53. p. 2. *Incipit pastorale, qualis debeat esse pastor ecclesiae.* Initium: *Diligenter inuestigauimus, & inuestigata cura rescriptimus, qualis debeat esse pastor ecclesiae, quomodo ecclesiam sanctam regere debeat, quomodo semetipsum in bonis operibus exerceat, qualiter se considerare debeat, & cotidie pensare omnia studia cordis sui &c.* Hinc ad *Episcoporum, Presbyterorum, Parochorum* munia particularia descenditur, adumbraturque *facrae admini-*

ministratio ratio Seculo X. certe antiquior, ut vel ex admonitione liquet: *Vt abstineant se — ab idolorum contagiis, ut uota non soluant more paganorum &c.* Ad septentrionem pertinere Pastorale istud ex similibus conjicio: *Sacras scripturas legant & intellegant, ut secundum traditionem romane ecclesie possint instruere, — Missas secundum consuetudinem celebrare, sicut romana traditio nobis tradidit. — Episcopus unusquisque in ciuitate sua scolam constituat et sapientem doctorem, qui secundum traditionem romanorum possit instruere &c.* Regionem autem ipsam non elicio. Extrema sunt: *Si quis hoc de episcopis uel de sacerdotibus non custodierit, & extra hanc constitutionem patrum uel fratrum, qui in presente sunt & manu confirmauerunt, ex eis aliquo se abstraxerit & contra statuta fratrum praesumpserit facere, sciat se excommunicandum a synodo publica.* Unde Edictum synodale esse liquet, a me nullibi, quod memini, lectum.

IV. fol. 63. Locus de utilitate et temporibus Jejunii, in quo memorabile: *Nonnulli propter bona opera ad electorum sortem praedesignati, sed (propter) mala aliqua, quibus polluti de corporibus exierunt, post mortem seuerè castigandi excipiuntur flammis ignis purgatorii, & uel usque ad diem iudicii longa huius examinatione ignis a uitiorum sorde mundantur, uel certe prius amicorum fidelium*

*precibus, elemosynis, ieiuniis, fletibus, & hostie salutaris oblationibus absoluti poenis & ipsi ad beatorum perueniunt requiem.*

V. fol. 65. absque titulo et nomine Autoris: *Hinc etenim superna uoce ad moysen dicitur: Loquere ad aaron: Homo de semine tuo &c.* Est Caput XI. Regulae Pastoralis Gregorii M.

VI. fol. 70. Catechesis de Oratione Dominica: *Pater noster qui es in celis. Interrogatio & responsio. In eadem oratione quot petitiones inueniuntur? Resp. septem. Int. Quae est prima? Resp. Sanctificetur nomen tuum. Int. Hoc quod in capite dixisti: Pater noster qui es in celis quomodo intellegitur &c.* Responsio ad IV. Petitionem ita habet: *Hoc loco panis pro omnibus cybis accipitur, de quibus cotidie uiuere debemus. Precamur etiam pro adsumptione corporis christi, petimusque denique, ut nobis seipsum tribuat, qui est panis uiuus.*

VII. fol. 72. *Incipit Constitutio Et Fides Niceni Concilii Subditis Capitulis Suis.* Id est Canonibus XX. et quidem interprete Dionysio Exiguo, prout una cum Praefatiuncula: *Facta est autem haec synodus apud nichiam bitbinie &c.* leguntur T. II. *Collect. Concill. Labb. edit. Venet. col. 29. et 43.* Textus infra Editorum perfectionem est; adscribam tamen *Δεκασιχον*, quod inter Symbolum et Canones interceptum reperi:

*Concilium sacrum uenerandi culmina iuris*  
*Condidit, & nobis congrua frena dedit.*  
*Ut bene fundatus iusto moderamine possit*  
*Intemerata gerens clericus ordo regi.*  
*Pontifices summi ueterum praecepta sequentes*  
*Planius haec monitis exposuere suis.*  
*Hinc fidei nostrae se pandit semita, & omnes*  
*Errorum damnant dogmata sancta uias.*  
*Quisque dei famulus fuerat, christique sacerdos,*  
*Hoc sale conditus dulcia mella fuit.*

VIII. fol. 81. p. 2. absque Titulo brevis Catechesis de Officio Missae, cujus initium: *Interrogatio. Ipsa missa a quo pontifice sumpsit initium? Resp. Ordo autem missae uel orationum, quibus oblata deo sacrificia consecrantur, primo a sancto petro est institutus, cuius celebrationem uno eodemque modo uniuersus peragit orbis &c. Orationes statuuntur VII. e quibus Autor ignotus Dominicae plurimum immoratur.*

IX. fol. 83. p. 2. Incipit *Sermo Ab Exordio Mundi Usque Ad Apostolorum Tempora Et Usque Nunc Boetii.* Breviarium intellige *Confessionis Fidei Boetianae*, ut extat in Edit. Opp. Lugd. Batav. 1671. p. 289. 8. Init: *Dominus omnipotens qui semper in aeternum sine aliqua mutabilitate aeternus permanet &c.* Quaedam etiam de suo insperit Breviator.

X. fol. 89. *De Ocho Uitiis Principalibus. Quorum Nomina Haec Sunt. Superbia, Guila, Fornicatio, Auaritia, Accidia, Tristitia, Coenodoxia.* Breviter enumerantur subalterna eorum Vitia. *Inuidiae* substituta est *Tristitia*, ipsa uero inter *Auaritiae* filias censetur.

XI. fol. 90. *De ratione matrimonii.* Id est de variis circa hoc Sacramentum Casibus Sententiae Utr. Testamenti, *Hieronymi, Augustini, Eucherii, Synodi Hibernensium, Romanae, et Auri-liensis.* Canonem *Hibernensem* in neutra *Patricii* dicta Synodo T. IV. *Concill. supracit.* lego. Sonat uero sic: *In tribus XLmis anni, & in dominico & in IIII. feria & in VI. feria conjugales continere se debent. Item Nec illis diebus copulari, quamdiu grauata fuerit uxor, hoc est, a quo filius in utero eius motum fecerit usque ad partum. Item a partu per XXXIII. dies, si filius, si autem filia, per LXVI. Item nec illis in alio habitu copulare licet.* Canon prave scriptus *Auriliensis* est *Conc. Aurelianensis* I. numero XVIII. ut *Concill. T. V. col. 549.*

XII. fol. 99. litera quadra: *Maximianus. Malchus. Martinianus. Dionisius. Johannes. Seraphion Et Constantinus.* Dein *Aeta* sic dictorum *Ἐττα Ποιδων* seu VII. *Dormientium Ephesinorum*, qui ad diem 27. Jul. coluntur. Ineunt: *In illo tempore regnabat decius imperator, descendit in ciuitate Con-*

Con-

2053

LITURGICI.

2054

*Constantina* & congregati sunt ante ipsum omnis multitudo ciuitatis &c. Produxere *Bollandiani* T. VI. Jul. ad h. d. Acta scripta ab *Jac. Sarugiensi*, *Greg. Turonensi*, et e Graeco versa a *Surio*. Praeterea p. 385. meminere Latinorum aliquot a se in *Codd. repertorum*, sed nostra phrafi cum nullis penitus conveniunt.

XIII. fol. 107. p. 2. *Incipit Sermo De Confusione Diaboli Et Inferni*. Narratio conficta ad imitationem spurii *Evangelii Nicodemii* occasione promta e C. ejus XX. ut habetur in *Fabricii Codice Apocr. N. T.* p. 279. ubi Diabolus e verbis Servatoris: *Tristis est anima mea usque ad mortem, spem conceperat eum vincendi et in inferno concludendi*. Itaque init: *Audiens diabolus dominum dicentem: Tristis est anima mea usque ad mortem, speravit se, quia mortem uel crucem pertimesceret, & cepit presumptus fieri. Currens abiit ad infernum et dixit ei. Paratus esto, para mihi locum munitum, ubi recludamus eum, qui dicitur ihesus.* &c. Multa deinceps conquestus de iis, quae Christus in corporibus et mentibus hominum mira patrauerat, non potuit tamen Infernum in suam sententiam pertrahere. Et en Victorem claustra perfringentem, et animas Patrum in Paradisum inducentem, qui latronem jam ibi repertum ridicule interrogant: *Nunquid hic ad furtum venisti facere?*

DCCCXXXII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3351  
XIV. Folior. 59. 12. bene scriptus et minio enotatus *Rituale* est, cujus contentorum Syllabum texam: Initia IV. *Evangeliorum* tardius praescripta cum *Collecta* super agros. Ritus *Baptismi* capite mutilus. *Ordo ad visitandum infirmum* cum administratione extremae Unctionis, sine mentione renum. *Ordo ad sepulturam*. *Benedictio super amorem Jobannis*, contra venena, in qua pro *subietta rana*, quod habet alter Codex hoc *Vol.* relatus, habetur *subdola*, et *squalangus* pro *spalangus*. *Ordo consecrationis cereorum* in festo Purificatae Virginis. *Maior benedictio salis in die sancti Blasii Ep.* cum Exorcismis Salis et Aquae. *Benedictio ad mulieres iacentes in partu*. *Benedictio ad introvizandum mulieres post partum*, nempe introducendas in Ecclesiam. *Benedictio Cinerum*, nempe in Capite Jejunii. *Ordo in die Palmarum*. *Ordo in parascheue*. *Visitacio sepulchri in Nocte paschatis*. *Benedictio agni in die paschatis*; ita et Lardi et cujusvis carnis, cafei, ovorum, panis, porri et caepae. *Ordo in vigilia Penthecostes*. *Ad faciendum militem*, cum traditione vexilli et ensis. *Benedictio super uolentes peregrinari*. Item *super cruce signatos*. *Benedictio ad carrenarios*, sive poenitentiam 40. dierum suscipientes, quae *Quadragera*, *Carena*, *Carrena*, *Carina* audit, et illustratur in *Glossar. Ducangii*. *Ordo absolutionis ex-*

Denis Codd. Theol. V. II. P. III.

S

com.